

Le corpus des poèmes sur et de Sulpicia, poétesse augustéenne

L'épithaphe de Petale (*L'Année épigraphique 1928, 73¹*)

Sulpiciae cineres lectricis cerne viator

quoi servile datum nomen erat Petale

Ter denos numero quatt(u)or plus vixerat annos

natumque in terris Aglaon ediderat

Omnia naturae bona viderat arte vigebat

splendebat formā creverat ingenio

Invida fors vitā longinquom degere tempus

noluit hanc fatis defuit ipse colus

vide, o viator, cineres lectricis Sulpiciae

quoi = cui

3 x 10 + 4 : summa est numerus
annorum quos vixit Petale

ediderat (tamquam librum !) : pepererat
(<pario)

creverat < cresco

longinquom = longinquum, longum
fors = fortuna

vita : abl. construi potest sive cum
« invida fors » sive cum « tempus
colus, i (ou -us), m. (ut hi, cf. ipse) aut f.
Quamquam voluerunt Parcae vitam
huius lectricis producere, non
potuerunt : colus sive lana vel filum eis
defuit.

¹ Inscription et transcription se trouvent en ligne ici : <https://edh.ub.uni-heidelberg.de/edh/inschrift/HD023608>

Le poème est traité comme **Sulpicia 12**, le douzième poème de Sulpicia dans *Ancient Women Writers of Greece and Rome*, B.A. Natoli, A. Pitts, J.P. Hallett (éds), Routledge, London-NY, p. 246-9, 253. J'ai mis des majuscules pour signaler les distinctions de phrase. **La ponctuation secondaire reste à ajouter -> en exercitium !**

[Tibulli] III, c. 8²

Sulpicia (e)st tibi culta tuis, Mars magne, kalendis ;

spectat(um) e caelo, si sapis, ipse veni ;

hoc Venus ignoscet ; at tu, violente, caveto

ne tibi miranti turpiter arma cadant :

illius ex oculis, cum vult exurere divos, 5

accendit geminas lampadas acer Amor.

Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,

componit furtim subsequiturque Decor ;

seu solvit crines, fuis decet esse capillis ;

seu compsit, comptis est veneranda comis. 10

Urit, seu Tyria voluit procedere palla ;

urit, seu niveā candida veste venit.

Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo

mille habet ornatus, mille decenter habet.

Sola puellarum digna est cui mollia caris 15

vellera det sucis bis madefacta Tyros,

possideatque, metit quidquid bene olentibus aruis

cultor odoratae dives Arabs segetis,

et quascumque niger rubro de litore gemmas

proximus Eois colligit Indus aquis. 20

Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis

et testudinea, Phoebe superbe, lyra.

Hoc sollemne sacrum multos haec sumet in annos :

dignior est vestro nulla puella choro.

Ordo : Sulpicia est culta tibi, Mars magne,
tuis k. - spectatum : supinum (= ut spectes)

Venus : haec dea memoratur quia Venus et Mars amantes esse dicebantur.

caveto : imperativum futuri temporis (magnam vim habet sed sensus fere idem ac 'cave')

illius : Sulpiciae - vult : subjectum est « Amor » - divos = deos - *Ordo* : ex oculis illius acer Amor accendit geminas (= duas) lampadas...

quoquo vestigia movit : quoquo pedes fert, quocumque it furtim = se occultans – Decor : pulchritudo, forma

seu... seu : sive... sive ; et cum... et cum...
Decor illam componit : eam decenter disponit et ornat

Tyria : colore purpureo ; purpura ex urbe Phoenissa quae « Tyros » vel « Tyros » (cf. v. 16) vocabatur


Urit <homines qui eam vident>
Vertumnus : deus praestitit anni temporibus, crescentibusque plantis et pomis. Multas formas habere potest.

Ordo : sola puellarum (= una inter puellas) est digna cui Tyros det mollia vellera (= molles vestes) bis madefacta sucis caris (=tinctorum liquore pretioso, h.e. purpura) ... et <ea sola est digna quae> possideat quidquid cultor Arabs, dives segetis odoratae, metit arvis (= campis) bene olentibus et quascumque gemmas Indus niger, proximus Eois aquis, colligit de litore rubro seges, segetis, f. : quae crescunt in agris ut fruges, cerealia – cum haec matura sunt, agricola *metit* ea, h.e. messem facit.

Eois : Eos Graece est Aurora ; Eous, -a, -um : in Oriente situs

Pierides : quasi Musae

testudinea : lyra facta est ex tegumento testudinis ;

haec est testudo : 

Hoc sollemne... : postea ea sic, omni anno, diu celebrabitur.

Ordo : nulla puella est dignior vestro choro (sc. ut eam inter vos accipiatis – fiatque ipsa Musa vel poëtria – aut – tantum ?? – ut eam cantu celebretis)

² J'ai enregistré une présentation, une lecture et une *enodatio* (rapide) de ce poème sur l'espace du CLIO appelé Aperto libro : <https://podcasters.spotify.com/pod/show/apertolibro/episodes/In-Matronalibus-anno-MMXXIV--carmen-de-Sulpicia-e2gi559/a-ab1aqmk>

9 (Sulpiciae³ ?)

Parce meo iuveni, seu quis bona pascua campi

seu colis umbrosi devia montis aper,

nec tibi sit duros acuiss(e) in proelia dentes ;

incolumem custos hunc mihi servet Amor.

Sed procul abducit venandi Delia cura : 5

o pereant silvae deficiantque canes !

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles

claudentem teneras laedere velle manus?

Quidve iuvat furtim latebras intrare ferarum

candidaque hamatis crura notare rubis? 10

Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,

ips(a) ego per montes retia torta feram,

ips(a) ego velocis quaeram vestigia cervi

et demam celerī ferrea vincla cani.

Tunc mihi, tunc placeant silvae, sī, lux mea, tecum 15

arguar ant(e) ipsas concubuisse plagas :

tunc veniat licet ad casses, inlaesus abibit,

ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.

Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,


caste puer, castā retia tange manu: 20

et, quaecumque meo furtim subrepat amori,

incidat in saevas diripienda feras.

At tu venandi studium concede parenti,

et celer in nostros ipse recurre sinus.

seu (sive) quis, aper (= tu qui es aliquis,
 aper) colis bona pascua seu
(sive) <colis> devia montis
umbrosi

devia : sunt loca devia, h.e. longe a via
Nec tibi sit... acuisse = noli acuere, cave
ne acuas

hunc : ad juvenem amatum spectat
v. 5 : « illum » subaudi ; Delia : aut
Diana aut alia femina (cf. puella in
Tibulli carminibus!), *sc.* : illum abducit
cura venandi, propria Dianae

Ordo : Quis furor est, quae mens :
claudentem [accusativus, subiectum]
densos colles indagine [abl. instr.] velle
[inf.] laedere teneras manus ?
indago, -inis, f. : inclusio ferarum quae
fit sive retibus sive ipsis hominibus inter
venationem
laedere = aliquid mali inferre, vulnerare
Quid iuvat = quid prodest

hamatus : uncinatus, incurvus, aduncus,
hamis instructus (cf. 'hameçon')
rubus, i, m. : frutex spinosus

demo = aufero ; vincla = vincula
-> e collis canum (venatorum) vincula
ferrea tollam

arguar = dicar, vel reprehendar (criminis
hujus : tecum concubuisse ante ipsa
plagas) ; plagae = retia
licet veniat... aper : quamquam, etsi
venit
casses = retia

lege Dianae : legi Dianae oboediens

Ordo et enodatio : Si quae femina clam
repat ad amantem meum, utinam ea
incidat in saevas feras quae eam
diripiant ! – diripio = lacero

Cf. Sulpicia [Tib. III], 13, 1 : *attulit in
nostrum deposuitque sinum*

³ La démonstration qui a fait date, en ce qui concerne l'attribution des poèmes 9 et 11 à Sulpicia est celle de H.N. Parker, « Sulpicia, the *Auctor de Sulpicia* and the authorship of 3.9 and 3.11 of the *Corpus Tibullianum* », *Helios* 21.1, 1994, p. 39-62.

Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,

huc ades, intonsā Phoebe superbe comā ;
 crede mihi, properā, nec te iam, Phoebe, pigebit
 formosae medicas applicuisse manus.

Effice ne macies pallentes occupet artus, 5
 neu notet informis candida membra color,
 et quodcumque mali (e)st et quidquid triste timemus,
 in pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sapes,
 quicumque et cantus corpora fessa levant ; 10
 neu iuvenem torque, metuit qui fata puellae
 vota que pro domina vix numeranda facit;
 interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
 dicit in aeternos aspera verba deos.

Pone metum, Cerinthe : deus non laedit amantes; 15
 tu modo semper ama : salva puella tibi est ;
 nil opus est fletu : lacrimis erit aptius uti, 21
 si quando fuerit tristior illa tibi. 22

At nunc tota tua (e)st, te solum candida secum 17
 cogitat, et frustra credula turba sedet.

Phoebe, fave : laus magna tibi tribuetur in uno
 corpore servato restituisse duos. 20

Iam celebrer, iam laetus eris, cum debita reddet 23
 certatim sanctis laetus uterque focus;
 tunc te felicem dicet pia turba deorum, 25
 optabunt artes et sibi quisque tuas.



propera : festina, celeriter veni
Ordo : applicuisse (= applicare) manus
 medicas formosae te non pigebit

Effice ne... = cura eam sic ut macies
 non occupet membra ejus, ut color
 informis non notet eius candidum
 corpus
Ordo : quodcumque mali est (omnia
 mala) et omnia tristia quae timemus,
 effice ite a amnis (fluvius) rapidis aquis
 vehat in pelagus (in mare altum)
 feras = fer !

*quicumque sapes, quicumque
 cantus... levant* : omnes sapes, omnes
 cantus qui levant corpora fessa
 ne torque iuvenem : noli cruciari i. qui
 metuit...

vix numeranda : quae vix numerare
 possint (adeo multa sunt)
 vovet = vota facit
 in + acc = contra + acc

Pone metum : noli timere, relinque
 metum

modo : tantum

nil opus est fletu : non necesse est flere
 si quando : si aliquando
 tristior : durior, minus mitis

turba <virorum qui Sulpiciam cupiunt> ;
 credula : quia putant se S. vincere posse

magnam laudem accipies : uno corpore
 servato restitueris duos !

v. 23-24, *Ordo* : cum uterque laetus
 certatim tibi reddet debitat in sanctis
 focus

certatim (adv.) : cum aemulatione

omnes dei optabunt easdem artes habere
 quas tu

11 (Sulpiciae ?)

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus

atque inter festos semper habendus erit :

te nascente novum Parcae cecinere puellis

servitium et dederunt regna superba tibi.

Uror ego ante alias: iuvat hoc, Cerinthe, quod uror, 5

si tibi de nobis mutuus ignis adest ;

mutuus adsit amor, per te dulcissima furta

perque tuos oculos per Geniumque rogo.

Magne Geni, cape tura libens votisque faveto,

si modo, cum de me cogitat, ille calet.¹⁰

Quod si forte alios iam nunc suspiret amores,

tunc precor infidos, sancte, relinque focos.

Nec tu sis iniusta, Venus : vel serviat aequè

vinctus uterque tibi vel mea vincla leva ;

sed potius valida teneamur uterque catenā,¹⁵

nulla queat posthac quam soluisse dies.

Optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat :

nam pudet haec illum dicere verba palam.

At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,

adnue : quid refert, clamne palamne roget ?²⁰

Ordo : dies qui te mihi dedit, C., hic...



cecinerere = cecinerunt

ante alias = plus quam aliae ; iuvat hoc
quod uror = me iuvat uri, ardere
de nobis : e nobis vel nostri gratia

v. 7 : per dulcissima furta, perque
tuos... ; « te » est obiectum verbi
« rogo »

Genius est deus cujus in tutela
quicumque natus est vivit ([Forc.](#))


tura < tus, turis, n. : lacrima arboris in
Arabia ; in sacris incenditur ad honorem
deorum aut Dei

calet (<caleo) : calidus est, fervet
si alios suspiret amores : si cogitat et
cupit alios amores

v. 12 : tunc, sancte (=Geni), hoc precor :
relinque focos infidos (sine fide).

Nec sis : noli esse ; te precor ne sis
iniusta.

vincla = vincula



leva = leviora redde !

Ordo : catena quam posthac nulla dies
queat (possit) soluisse (solvere).

Ordo : Iuvenis opta idem quod nos, sed
tectius (occultius, clam) id optat.

Ordo : nam illum pudet dicere haec
verba palam (ante omnes, coram
hominibus).

v. 19 : Genius eius/Natalis, ut deus,
omnia sentire potest
refert = est aliquid, est magni momenti -
-> non refert utrum clam an palam roget
amans..

12

Natalis Iuno, sanctos cape turis acervos,
quos tibi dat tenerā docta puella manu ;
tota tibi (e)st hodiē, tibi sē laetissima compsit,
staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quid(em) ornandi causas tibi, diva, relegat ; 5
est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,
sed iuveni, quaeso, mutua vincla para.
Sic bene compones : ullae non ille puellae
servire aut cuiquam dignior illa viro. 10
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos
fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue purpureāque venī perlūcida pallā :
ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero ;
praecipit et natae mater studiosa, quod optat : 15
ill(a) aliud tacitā iām sua mente rogat ;
uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sis iuveni grata ac, veniet cum proximus annus,
hic idem votis iam vetus exstet amor.

tus, turis : vide nota *ad* 11, 9

Natalis : quia Iuno dea praeerat feminis
parientibus, natos vel natas edentibus

staret ut = ut staret
conspicienda : talis ut conspiceretur, ut
alii eam mirarentur
relegare causas : facere, tribuere
causam/s alicui (hic: tibi)
v. 6 : est tamen aliquis cui occulte
placere velit
divellat : separet, disjungat
vincla = vincula ; cf. c. 11, 13-16

compones : dispones, instrues
Ordo : ille non dignior est servire ullae
(alii) puellae au tilla dignior est servire
cuiquam (= ullo alii) viro. Cf. c. 13, 10
Nec possit : utinam ne possit ;
deprehendere = capere incautos ;
cupidos : amantes
ministret : utinam (potius) praebeat,
offerat

fit = sacrum fit (libo, mero : abl. instr.)
Ordo : mater studiosa natae (sollicita de
filia) praecipit <id> quod optat

v. 16 : tacita... mente illa (puella, filia)
aliud rogat
iam sua : iam ipsa se regit puella
altaria (acc. pl.) : sacra in ara posita
quamvis (quamquam) liceat <sana esse,
sanari> non vult esse sana (= non uri
amore). Cf. c. 10, 11, 5-6, 17
veniet cum = cum veniet
Ordo : hic idem amor jam exstet (sit)
vetus votis (propter vota, votorum
gratia)

« **Sulpiciae Elegidia** » (abhinc leguntur carmina quae Sulpiciae poetriae fere tribuuntur)

13 ♥

Lectio simplicissima

Tandem amor venit. Et is est talis : si homines dicant me eum occultavisse, id mihi magis pudori sit quam si dicant me eum dixisse alicui.

Venus, dea Cytherea, carmina mea audivit et illum amorem mihi attulit deposuitque in meum sinum.

Venus exsolvit promissa sua : nunc, si fama erit aliquem aut aliquam non habuisse sua gaudia, is aut ea narrare poterit mea gaudia !

Non ego velim ullum verbum mandare tabellis sigillo clausis : sic enim nemo id legere possit ante meum virum.

Sed me iuvat peccavisse et me taedet componere vultus ut fama mea bona sit : esto ! de me, quae sum digna, dicant (/dicent) me concubuisse cum digno viro !

Lectio simplicior

Tandem venit amor. Is est talis ut si fama sit me eum occultavisse, id mihi magis pudori sit quam si fama sit me eum dixisse alicui.

Exorata meis carminibus, Venus, dea Cytherea, illum amorem attulit deposuitque in nostrum sinum.

Venus exsolvit promissa sua : nunc, si quis dicetur non habuisse sua gaudia, is narrare poterit mea !

Non ego velim ullum verbum mandare signatis tabellis, timens ne nemo id legat ante meum virum.

Sed peccasse iuvat et taedet componere vultus ad famam : esto, de me, quae sum digna, dicent me fuisse cum digno viro !

Lectio originalis

Tandem vēnit amor, quālem texisse pudori
quam nūdasse alicui sit mihi fāma magis.

Exōrāta meīs illum Cytherēa Camenis
attulit in nostrum deposuitque sinum.

Exsolvit promissa Venus : mea gaudia narret, 5
dicetur si quis non habuisse sua.


Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
ne legat id nēmō quam meus ante, velim,
sed peccasse iuvat, vultus componere famae
taedet : cum digno digna fuisse ferar. 10

... hic amor talis est, ut fama <me> eum texisse
pudori mihi magis sit quam <fama me eum>
alicui nudasse.

Cytherea : Venus – Camenae : Musae Italicae

Si quis dicetur non habuisse sua gaudia, mea
gaudia narret !

Non velim quicquam mandare signatis tabellis
ne nemo id legat antequam meus legat



Remarques sur deux difficultés particulières du poème 13 (ou 1, pour qui le traite tout à fait comme le tout premier poème du cycle⁴).

Plusieurs difficultés de construction – ou superpositions de sens – sont réunies dans ce poème, qui paraît bien avoir été le premier du cycle des élégies de Sulpicia :

-le premier distique : je reste convaincue que la construction proposée est la « bonne ». Mais plusieurs autres ont été avancées, sans compter que pour d'aucuns, le v. 1 s'achevait plutôt sur *pudore*⁵. Parmi ces autres constructions, celle-ci qui dit l'inverse : 'ce serait une plus grande gloire pour moi (*fama mihi magis sit*) que de l'avoir caché à la pudeur (ou par pudeur avec *pudore*) que de l'avoir dit à quelqu'un'. Ce sens de *fama* ne semble cependant pas le plus pertinent dans le contexte (de ce poème et de l'ensemble, voire de l'élégie, où la *fama* tient souvent plutôt de la *turpis fabula*) : en effet, S. veut que l'on parle d'elle, elle est même prête à « prêter » sa réputation / ce qu'on dira d'elle et du plaisir qu'elle a trouvé à d'autres (v. 5-6) ; elle n'a pas de honte, se fatigue plutôt de devoir dissimuler (*componere vultus*) et dicte pour finir ce qu'elle veut entendre dire à son sujet – qu'elle est digne de son amant et qu'il est digne d'elle (le poème XVI fournit un net contraste par rapport à cela).

-v. 7-8 : les commentateurs sont peut-être plus hésitants ici, à cause de *nemo*, dont on se demande plutôt d'abord s'il n'est pas mis pour *ullus* ou *quisquam*. Je ne veux confier aucun mot à des tablettes portant mon sceau (= je ne veux rien écrire) de peur quelqu'un ne le lise avant mon amant. Mais l'accent est peut-être plutôt sur *signatis* (de telles tablettes seraient scellées, c'est-à-dire a priori inaccessibles à la lecture de quelqu'un d'autre que le destinataire déclaré) : je ne veux confier aucun mot à des tablettes scellées de peur que personne ne le lise avant mon amant. Cela concorde avec l'idée centrale de tout le poème : c'est le moment pour Sulpicia de dévoiler (*texisse*) son amour à la face du monde = c'est le moment de rendre public ce cycle poétique. Ian Fielding, (« The authorship of Sulpicia », dans T.E. Franklin et L. Fulkerson eds., *Constructing Authors and Readers in the Appendices Vergiliana, Tibulliana and Ovidiana*, Oxford Univ. Press, 2020, p. 186-197) propose même que dans ce poème même où elle semble faire tomber le masque, Sulpicia signale ici que d'autres peuvent s'emparer de ses vers et célébrer son amour, sa Vénus, ses « joies » (*mea gaudia*, v. 5) en son nom, ce qui fait le lien avec les poèmes de la « guirlande » (dont les auteurs auraient répondu à cet appel ou que Sulpicia, proche d'elles ou d'eux, aurait même encouragés).

Imago incisa quae Cupidinem legentem fert invenitur in editione (anni MDCCXCVIII) Tibulli carminum illius C.G. Heyne, et describitur p. XCI.

⁴ C'est le cas dans l'ouvrage cité plus haut : *Ancient Women Writers of Greece and Rome*, p. 210-213, 249.

⁵ J. Fabre-Serris, dans l'article intitulé « Sulpicia, Gallus et les élégiaques. Propositions de lecture de l'épigramme 3, 13 », *Eugesta* 7, 2007, rappelle utilement dans sa note 7 différentes constructions et traductions du premier distique.

14

Invisus nātālis adest, qui rūre molesto
et sine Cerintho tristis agendus erit.

Dulcius urbe quid est ? An villa sit apta puellae

atqu(e) Arretino frigidus amnis agro ?

Iam, nimium Messālla meī studiōse, quiescas ; 5

non tempestivae saepe, propinque, viae.

Hic animum sensusque meos abducta relinquo

arbitrio, quamvis nōn sinis ēsse, meo.



15

Scis iter ex animo sublatum triste puellae ?

Natali Romae iam licet esse tuo.

Omnibus ille dies nobis natalis agatur,

qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

invisus : odiosus ; rure
molesto : ruri, qui locus mihi
molestus (gravis, non
iucundus, est)



Arretino agro : in agro Arretino (prope
Arretium) ; amnis : fluvius

Iam quiesce (= tranquillus esto),
Messalla, qui nimium curas de me
O tu qui mihi es propinquus, hoc scito :
saepe itinera non sunt opportuna !

Hic = Romae

arbitrio meo quamquam tu non sinis
(=permittis) me esse (vel uti) arbitrio
meo (= facere quae
volo)

sublatum < tollo, -is, -ere, sustuli,
sublatum; sublatum esse = non factum
esse, deletum esse
ex animo puellae : ut (tua) puella
volebat (ex animo = ex imo animo, ex
corde, sponte et sincere)

nec opinanti... tibi ; nec
opinans/necopinans: qui non exspectat,
qui rem non cogitat

Rem. :

-Le v. 6 du poème 14 est problématique : d'autres éditions modernes portent plutôt la leçon « heu tempestivae saeve propinque viae », dans laquelle l'adj. simple *tempestivus* aurait le sens de son composé *intempestivus*.

-Les poèmes 14 et 15 sont liés par leur thème (ils relèvent des poèmes d'anniversaire : *genethliaca*) aux poèmes 11 et 12 dans la « guirlande » (dont 11 est probablement dû à Sulpicia).

16

Lectio simplicior

Scilicet mihi placet quod tu iam tam securus (certus, fidus) de me es ! nam omnia tibi permittis nec times ne ipsa, inepta, male cadam !

Bene, hoc admitto : cura meretricix cuiusdam potior est tibi quam Sulpicia, filia Servii.

Nam pro me solliciti sunt viri qui hoc maxime dolent : toment ne cedam viro haud nobili (AUT : ne cedam <locum> feminae vilissimae)

Lectio originalis

Grātūm (e)st, sēcūrūs mūltūm quōd jām tibi dē me

pērmittīs, subitō nē male inēpta cadam.

Sīt tibi cūra togae potiōr prēssūmque quasīllo

scōrtūm quām SĒRVĪ FĪLIA SŪLPICIA.

Sōllicitī sūnt prō nōbīs, quibus īlla dolōri (e)st

nē cēd(am) īgnōtō māxima causa tōro.

gratum est <mihi> = placet (ironice dictum)
Ordo : quod jam multum tibi permittis de me securus ne...

de me : de vi amoris mei erga te
securus ne = non timens ne
male inepta : nimis stolidus (stulta esset – amantis opinione – si alieno amori succumberet) ;
cadam : <alii viro> succumbam

Sit tibi cura togae potior... : si praefers curam togae... ; potior < potis (=potens)
toga : meretricem (sive scortum) indicat
quasillum : calathus in quo ancillae, quae lanam faciebant, pensa cottidie reponebant
scortum pressum quasillo: ancilla meretrix cui quasillum oneri est sive id portat sive ei semper opera danda est

Sulpicia ait esse alios viros quibus ipsa cordi sit.
Ordo : quibus illa maxima causa dolori est ne cedam...

ne cedam ignoto toro : aut 1) ne cedam tibi et toro (lecto) tuo, cum ignotus vel ignobilis sis 2) ne posthabear a te ignotae et vili puellae.

Rem. :

Ici aussi, on trouve une possibilité de double sens/de superposition de significations. « Ignoto toro » au dernier vers peut faire référence à l'amant qui aux yeux de ceux qui s'inquiètent pour Sulpicia (si elle lui « cédaît », premier sens possible de *cedo*), serait inconnu (d'ailleurs, il n'a pas été ici nommé) et indigne. Du point de vue de Sulpicia, le même complément pourrait faire référence au lit (dans lequel S. cède sa place, autre sens possible de *cedo*) qualifié comme le serait la rivale (une inconnue, une non-noble, 'un' *scortum*).

Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,

quod mea nunc vexat corpora fessa calor?



A ! Ego non aliter tristes evincere morbos

optarim, quam te si quoque velle putem.

At mihi quid prosit morbos evincere, si tu

nostra potes lento pectore ferre mala ?

puellae : ea puella est eadem atque 'ego' (cf. mea v. 2)

calor : febris  (calorem amoris  vel cupidinis etiam significat) ; vexat : turbat

Ordo : Non **aliter** optarim... **quam** si putem te quoque <id> velle = sanari non velim nisi putem te id quoque velle
optarim = optaverim

quid prosit : quid utile sit, quod bonum... ?

lentus : securus, negligens, parvi pendens ; quasi 'aequo animo'

Nota : de hoc carmine (in prima nota) haec leguntur in editione Tibulli carminum a C.G. Heyne instructa (*Albi Tibulli carmina : libri tres cum libro quarto Sulpiciae et aliorum*, Lipsiae, 1798 [1755¹]) : « est suavissimum poematum puellae dulcissimae ! Quid enim esse potest hoc ingenio ! hoc affectu in amantem ! Bene placideque quiescas ! »

Versio simplicissima

Ita non tam ardentem a te amari, ut ante nonnullos dies amari (sic mihi videtur), si, stulta, aliquid feci cuius me magis paenitet (fatear) quam hoc : heri nocte te reliqui, quia cupivi dissimulare ardorem amoris mei.

Versio simplicior

Ne tibi sim, mea lux, cura tam fervida quam videor fuisse ante paucos dies, si, stulta, quicquam commisi tota iuventa cuius me magis paenituisse fatear quam hoc : nocte hesternam te reliqui, ardorem meum cupiens dissimulare.

Versio originalis

Ne tibi sim, mea lux, aequae iam fervidae cura
ac videor paucos ante fuisse dies,
si quicquam totam commisi stultam iuventam
cuius me fatear paenituisse magis,
hesterna quam te solum quod nocte reliqui, 5
ardorem cupiens dissimulare meum.

...

Ne... sim : licet non sim
aeque... ac (= tantum... quantum)
quicquam : aliquid <mali>
totam iuventam : blatives causae
paenitet + gen. (cuius)
magis quam <hoc,> quod te